

ra in Historia scripsit, quam recentiorum ullus, ait se Gothifredum quendam Viterbiensem secutum, bis Venetos a Pipino bello petitos credere: semel quum Heraclia everfa est, de qua expeditione superius diximus: ac priore bello Venetos subactos, eaque lege restitutam eis libertatem, ut nihil rei cum Græciæ Imperatore illis esset amplius; quod quum minime fecissent, sed per negociatores, qui circa Pontidem atque oram Pontici maris navigabant, cum Nicephoro in gratiam clandestine rediissent, tum demum, quia omnia quæ facta essent, rescivisset Pipinus, continuo quam maximo potuisset armorum apparatu Venetos iterum sit adortus: de cuius expeditionis eventu breviter dicam, si prius & ipse quid de hac re sentiam explicavero; nam Blundi quoque scripta parum sibi constare videntur. Ait ille, tum factam esse deditionem, quum Heraclia everfa sit. Quod si ita esset, non Obelerii & fratris Ducatu id accidisset, sed Joannis & minoris Mauricii, quibus Principibus Heracliam excisam ipse alio loco affirmat. Ego, quia plane video omnes Venetarum rerum scriptores pertinacissime negare deditionem ullam esse factam, ita rem sese habere arbitror, ut Fortunati Patriarchæ ad Carolum criminationibus, quod contra fœdera inter illum & Nicephorum icta, quibus fuerat expressum, ut Veneti neutrius censerentur imperii, per suos negociatores ambitiose se Nicephoro insinuassent: Pipinus jussu patris Venetos fines terrestri prælio sit adortus, Heracliaque & Equilio everfis, quia res eorum satis eo bello accisæ fuerant, creditum vulgo esse, omne nomen Venetum cum suis Ducibus subactum. Sed constat, Venetos in pristina libertate mansisse, atque ea lege præsentis bello levatos, ne cum Nicephoro rerum aliquid sibi amplius esse vellent. Mox orta inter utrumque Imperium ob Dalmatiam discordia, quum Veneti Nicephori rebus aperte favissent (etenim Nice tam ejus præfectum terra marique auxiliis juvisse dicuntur) tum demum Pipinum in Venetos ira exarsisse, ac majore aliquanto quam antea belli apparatu eos adortum. Illud ad hæc inter omnes constat, eo tempore quo bellum a Gallo illatum est, Obelerium & Beatum, sive domestica sive civili discor-